Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift

se euaderet. sed indefessis hostibus armis non carnalibus sed spiritalibus indefesso studio laborent repugnare. Quinque satrape phylistinorum: sunt quinque principalia uicia spirituum malignorum. Phylistiim enim: ruina duplex uel potione cadentes interpretantur. quo nomine maligni spiritus designantur. qui ruinam duplicem anime et corporis operantur: sed potione uerbi dei expunguntur. Quinque enim satrape phylistinorum: sunt quinque principes spiritalium nequiciarum. superbia. vana gloria. Philargiria. castrimargia. Inuidia. per quam mors introiuit in orbem terrarum. Per nomen chananeorum. qui motus eorum interpretatur: ira figuratur. Per sydonium. qui uenator dicitur. tristicia exprimitur. que uenatione mortis hominem insequitur. Per euceum. qui ferus uel lapides colligens interpretatur. accidia figuratur. qua homo feritate beluina amaricatur. et collectione inutilium cogitationum. uerborum. et operum. pregrauatur. Qui in monte LYBANO habitant. quod candidatio sonat. quia octo principalia uicia. uitam per penitentie emundationem candidatam. suis temptationibus aggrauare non cessant. De monte BAALHERMON. qui uetustatis separatio interpretatur: quo fastigium perfectionis designatur. per quam uetustas carnalitatis ab anima sequestratur. Usque ad introitum EMATH. qui auditio dicitur. cum auditui gaudium et leticiam infundit. ubi a Christo iudice electis dicetur. Venite benedicti patris mei. percipite regnum. Hos ergo satrapas deus dimittit. cum Christus .viii. uiciis principalibus temptandi facultatem permittit. Ut in ipsis israhelem experiatur: ut temptationibus probatus fidelis quis inueniatur. Qui enim probatus non est: qualia scit. Utrum mandata domini audiant. que omnia in dilectione dei et proximi constant. que patribus eorum per manum MOYSI preceperat. cum ipsi in monte SYNAI. duas tabulas digito dei scriptas tradidit. An non: scilicet si temptationibus uicti. cedant ab amore dei et proximi. Filii israhel in medio CHANANEI. et ETHEI. et AMORREI. et EVEI. et PHEREZEI. et IEBUSEI. habitant. cum fidei professionem tenentes: in hac uita in medio uiciorum. uelut in medio laqueorum titubant. Per CHANANEUM. qui negotiator dicitur. phylargiria exprimitur. que diuersis negotiationibus terrenorum lucrorum distenditur. Per ETHEUM. qui formidans interpretatur: inutilis timor figuratur. qui de inutili tristicia generatur. Per AMORREUM. qui amaricans dicitur. ira exprimitur. que amaritudine indignationis afficitur. Per PHEREZEUM. qui separans interpretatur. uana gloria designatur. de qua discordia et nouitatum presumptio generatur. Per EVEUM. qui ferus dicitur: accidia sicut dictum est exprimitur. Per IEBUSEUM. qui calcatus interpretatur: castrimargia figuratur. In quorum medio filii israhel habitant. quia solo nomine fidei professionem tenentes. horum uiciorum laquei strangulant. Filias eorum uxores ducunt. cum eorum delectationibus sensus carnis sue prostituunt. Ipsi filias suas eorum filiis tradunt. cum suam carnalitatem eorum preceptis subiciunt. Diis eorum seruiunt. cum malignis spiritibus eorumdem uiciorum incentoribus se summittunt. Malum in conspectu domini faciunt.